

steris eorum initum: indeq; spem rerum meliorum concipere, & ex hac precari, vt opus hoc cum A patribus cœptum in effectu declaretur.

OBS. 1.

Latifica nos pro diebus, quibus adflixisti. ] 1. Notemus hoc versu vtrumq; esse opus Dei, tam adfligere suos, quam lætificare. Non enim dicit: Latemur pro diebus, quibus adflieti fuimus: sed, Latifica nos pro diebus, quibus adflixisti nos. Agnoscamus itaq; & nos in vtroq; manum Dei, siue adfligamur, siue lætificemur.

2. Deinde obseruemus hęc, spem fieri adflictis, vt pro diebus afflictionis olim exhilarētur. Tales quippe sunt orationes istæ sanctorum, vt quod orant, sperandum etiam sit: præsertim cum habeat diuinam promissionem, & aliquoties etiam re ipsa sit in sanctis declaratum. Est autem hic cursus populi Dei, vt primùm tristibus adfligatur, deinde lætificetur. Sic primùm deuorandæ fuerunt Israëlī Ægypti & solitudinis molestiæ, ac tum demum ingressu ac requie terræ promissæ fruendū. Sic ad epulonem diuitem dictum est: Fili recordare, quod acceperis bona in vita tua, Lazarus verò mala. Nunc ille consolationem inuenit, tu verò cruciaris. Sic suprâ Psalm. 71: Qui videre nos fecisti tribulationes multas & malas, conuersus viuificasti nos, & de abyssi terræ iterum exaltasti nos.

1. Petr. 1.

Sic Petrus priores agnouit in Christo passiones & posteriores glorias.

OBS. 2.

Appareat apud seruos tuos opus tuum. ] 1. Discamus hęc, quo debeamus affectu amolitionem tristium, & inductionem lætarum rerum optare & orare: nempe hoc, vt non tam nobis bene esse, quam gloriam diuini nominis illustrari cupiamus. Hoc perpetuò nobis in votis esse debet, vt magnificentia & decor Dei amplificetur in nobis: notumq; Mundo fiat, habere nos Deum verum & vnicum, qui solus suorum possit esse protector, ac verus Deus. 2. Deinde in eo quod subdit: Et magnificentia tua super filios eorum. notandum est quod sit illud opus Dei super seruos suos: tale scilicet, quod sit magnificum. At perdere & adfligere suos, non est opus Dei, quod magnificum dicatur, sed potius seruare & lætificare. Non enim perditionis Deus est, sed salutis: nec mœroris, sed lætitiæ. Si subditi ad regem suum orarent, ac dicerent: Appareat super nos opus tuum, & magnificentia tua super liberos nostros: quis non intelligeret quid orarent? Notum enim est, quod sit proprium regis opus in subditis eius. 3. Tertiò, notemus etiam hęc, quid optare & apprecari debeamus posteris nostris: nempe, vt magnificentia Dei super eos appareat. Hoc autem sic instituamus, vt simus primùm nos serui Dei: deinde eos ad eum modum educemus, vt magnificentiæ huius Dei tanquam posterum seruorum Dei capaces esse possint. Hęc erit optima ratio consulendi posteris.

OBS. 3.

Et sit decor Domini Dei nostri super nos, & opus manuum nostrarum dirige, &c. ] 1. Obserua hęc primùm, nihil esse opus manuum nostrarum, nisi diuinitus dirigatur. Sensit hoc Moses: ideo pro directione Dei orauit, idq; secundo. 2. Deinde directionem Dei non habere locum in ociofis, sed in operantibus. Non enim dicit, Dirige nos: sed, Opus manuum nostrarum dirige. Coniungenda sunt hæc duo, opus manuum nostrarum, & directio diuina. Tertiò, exigi ad hanc directionem, vt opus manuum nostrarum tale sit, quod cum decore Dei dirigi possit. Ideo rectè præmisit, dicens: Et sit decor Domini Dei nostri super nos, ac tum subiecit: Et opus manuum nostrarum dirige. Sit igitur opus manuum nostrarum, opus seruorum ac populi Dei, non opus filiorum huius seculi & satanæ, si directionem hanc sperare & orare vouerimus. Diligit enim Deus noster iustitiam, & odit iniquitatem. Nec fieri potest, vt malitiâ suorum cum decore suo dirigat & confirmet. 4. Quartò, cogitemus & hoc, si quando opera nostra successerint, decorem & gloriam deberi non nostris manibus, sed Domino Deo nostro. Non nobis, dicamus, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Sic orat hęc Moses: Sit decor Domini Dei nostri super nos. At filij huius seculi opera manuum suarum magnificant, osculanturq;, & dicunt: Manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia.

PSALMVS XCI.

ARGVMENTVM PSALMI.

Exprimitur hoc Psalmo animus de protectione Dei contra quæuis aduersa securus, quàm ille nihil timeat eorum, quæ quocunq; modo nocere conantur, eò quòd spem certam ac firmam in Deum fixerit, qui sperantes in se eripiat ac protegat.

Diuisio Psalmi.

Sunt autem duæ Psalmi huius partes. Prima, fiduciam & securitatem animi à protectione Dei pendētis, à primo versu ad 14. vsq;. Altera tribus posterioribus, 14. 15. & 16. oraculum Dei continet, quo speranti in se ereptionem ac protectionem, glorificationem, vitamq; longeuam cum salute pollicetur.

PRIMA PSALMI PARS.

VERS. 1.



VI habitat in abdito Altissimi, in umbra omnipotentis moratur. 2. Dicit Domino, Spes mea & munimentum meum: Deus meus, sperabo in eum. 3. Quoniam ipse eripiet te de laqueo venatoris, à peste omniū pessima. 4. Sub ala sua operiet te, & sub pennis eius confides: scutum & parma, fides eius.

LECTIO

In umbra omnipotentis moratur. ] Ebr. בגל שריית לבינו. Græcus sic: εν σκηνη του θεου εραυδω αυτου: id est, In protectione Dei cæli commorabitur. Sic & Arabs legit: Commorans in umbra Dei cæli.

Vers. 1.

Dicit Domino. ] Ebr. אמר ליהוה. Quidam legunt: Dicam Domino. Hieron. Dicens Domino. Chald. דרר אמר: id est, Dixit David. Arabs nobiscum legit, Dicit.

Vers. 2.

Spes mea & munimentum meum. ] Ebr. בחסי ובצידותי. Græcus: ἀποκρίνησθε μου εἰ, καὶ ἡ ἀσπίς μου: id est, Adiutor meus es.

B